



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Virginem sanctissimam, futuram filij sui passionem continuè
præmeditatam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

cruciatus, vel adhuc futuros identidem præmeditatam esse, vel jam præteritos, assiduâ memoria ac perenni luctu profecutam.

§. I.

Virginem Sanctissimam, futuram filij sui passionem continuè præmeditatam esse.

ATque ut ab eo, quod primum proposui, ordiar: B. Virginem vel ab ipsa filij sui infantia, futuram ejus passionem ac mortem præsensisse animo, & (quod inde videtur consequens) de ea identidem, nec sine dolore, recogitasse; etsi nullâ nobis autoritate constaret, esset tamen per se omnino verisimile. Siquidem, ut erat divinarum litterarum, scientissima, & interno quoque magisterio, à principio & plenè (ut loquitur S. Bernardus) de omnibus instructa mysterijs, aperta Sanctorum Prophetarum & præsertim Isaïæ, de Christi necè atque tormentis oracula ignorare scilicet non poterat. His adde recentes B. Simeonis voces, denuntiantis & istum puerum positum esse in signum cui contradiceretur. (câ nimirum contradictione de qua ad Hebræos dicit Apostolus: *Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem*) & Matris animam, ipsâ confessione ac compassione dolorum Filij, velut spiritali quodam gladio transverberandam.

*Hom. 4. sup
Miss.*

Heb. 12.

L. 6. c. 51.

Eccl.

*Addit. ad
vitam suâ.*

Ergo inhærente jam tum lateri, fatali leto, cruciatum filij sui (ut ipsa non semel revelavit S. Birgittæ) perpetuâ expectatione cruciata est. Testaturque S. Teresa, id ipsum his verbis sibi à Christo manifestatum fuisse: *Noli putare, cum matrem meam me in suis ulnis continentem vides, illam sine magna amaritudine & tormento, illo fruitam gaudio suisse. Jam inde enim ab eo tempore, quo Simeon illam doloris gladio transfigendam dixit, clarum ei Pater meus lumen infudit, quo illustrata videret, quid mihi patiendum esset.*

Acue-

Acuebat igitur doloris sensum assidua filij presentia, & conspectus amabilis faciei speciosi formâ præ filijs hominum; reliquorumque membrorum, quæ cui tormento subijcienda forent singula, præfaga & mæsta designatio. Itaque subinde divinissimi ejus infantis innocentes artus contuens; aut etiam pro materno jure verecundâ manu attritans ac velut pertentans: Hæcine agebat, teneræ ac delicatæ manus, hi speciosi atque immaculati pedes, aliquando clavis trabalibus in crucis stipite suffigentur? Hoccine latus, divinitatis sacrarium, cor istud sancti amoris sedes, & divinatorum affectionum officina, hoc inquam pectus compungetur crudeli lancea, & vasto hiatus ac fœdo vulnere temerabitur? Quæ aut his affinia secum reputans, crebrò solvebatur in lacrymas; ut sibi revelatum ab ipsa Virgine B. Birgitta testatur. Et videri potest ejusdem Sanctæ sermo Angelicus *cap. 7.* ubi sigillatim minutatimque describit, uti discursu factò per membra singula, futuros filij sui dolores aestimaret ac meditaretur.

L. 1. c. 10.

L. 2. c. 24.

Sed & illi succurrebat, opinor, cum pro materno officio virgineum lac infantis labris immulgeret, eo se pacto materiam subministrare, unde conficeretur & concreveret pretiosus sanguis, qui aliquando tormentorum vi expressus, humano generi redimendo instrumentum esset & pretium. Vt vel eo sensu meritò dicantur ejus ubera assimilata botris: quòd eâ mente ac cogitatione Christum lactans, neque tam ut filium, quàm ut agnum victimæ destinatum, eum educans; non tam ei lac dare, quàm sanguinem affundere videretur.

Cant. 7.

Neque obscurum esse potest; quin annis porrò succedentibus, quò propiùs in dies innocentem victimam, cultro & aris admoveri sentiret, hoc magis etiam ingravesceret materna cura: cum interim ipsa (ne, intempestiva forsitan futurorum commemoratione, Vnigeniti commove-

ren-

rentur viscera) dolorem suum corde premeret; nisi quò fortassis, aut mæsto quandoque oculorum in filium coniectu eum proderet, aut erumpente furtim gemitu loqueretur; pariterque filius maternum vulnus intelligens, non nisi dejecto aut etiam subducto tristi lumine, vel obortà lacrymula responderet: & ita, reciproca consensione, filius ac mater, amantissimi, mutuis se sauciarent doloribus, mutuis amoribus solarentur.

Quin etiam illud est verosimile (quod piè commentatur S. Bernardinus Senensis) in ipso Divinæ Incarnationis articulo, Sanctissimam Virginem simul in Filij conceptionem, simul in mortem consensisse; eumque jam tum obtulisse Patri, velut pro mundi peccato hostiam, prout ipse se se eo ipso momento offerebat Filius, seque unà cum illo quodammodo crucifixisse; in eumque sensum (ex ejusdem S. Bernardini phrasi) crucifixam crucifixum concepisse. Sic enim loquitur in eo de B. Virgine tractatu: *In signum igitur quòd crucifixa crucifixum concepit, ordinavit summa Sapientia Dei, quòd eodem die Christum concepit, quo etiam fuit passus. Eademque mente Richardus à S. Laurentio: Ex quo filium concepit (inquit) ipsum pro mundi salute pati desideravit; sicut videtur velle Ambrosius.*

§. 2.

Eandem Virginem filij sui mortem acerbam, quam coram ipsa spectaverat, assidue recogitasse.

Iam ut alterum illud, quod propositum erat, exequar: sicut velut modò demonstravimus, Virgo Beata pravissimam durissimam filij passionem, assiduo luctu atque dolore antegressa est: multò magis eandem dicemus, crudelissimæ mortis ab eodem re ipsa & in oculis suis, obitæ perennem atque infixam dolenti animo recordationem aluisse. Quod equidem